

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.**

**Phaedrus**

**Rintelii, MDCCXXXVIII**

**VD18 13044567**

Fab. XIX. Canis parturiens.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17134**

panes calumniatori reddendos esse affirmat. Ovis falso damnatur testimonio, et soluit, quod non debebat: sed breui post Lupum in fouea iacentem conspicit. Haec ergo merces, inquit, tibi, pro mendaciis et fraudibus, a superis rependitur.

## FAB. XVIII.

*Mulier parturiens.*

Nemo libenter recolit, qui laesit, locum.

Instante partu, Mulier, aetis mensibus,  
Humi iacebat, flebiles gemitus ciens.

Vir est hortatus, corpus lecto reciperet:

Onus naturae melius quo deponeret.

Minime, inquit, illo posse confido loco  
Malum finiri, quo conceptum est initio.

*Suo quisque periculo caurus.*

Quae noxia fuerunt, lubentius ea fugimus loca. Mulier partui proxima, cum plurimos persentiret dolores: humo iacens gemitu eiulatunque miserabili suam deplorabat sortem. Coniux tum hortabatur eam, ut in lectum se reciperet, vbi parere facilius lassumque corpus levare posset. Minime vero, respondet, hoc mihi persuaseris vnquam fore, ut malum eō finiatur loco, qui trifitis ipse illius caussa fuit.

## FAB. XIX.

*Canis parturiens.*

Habent insidias hominis blanditiae mali,  
Quas vt vitemus, versus subiecti monent.

Canis parturiens cum rogasset alteram,  
Vt foetum in eius tugurio deponeret:

Facile impetravit: dein reposcenti locum 5  
 Preces admouit: tempus exorans breue,  
 Dum firmiores posset catulos ducere.  
 Hoc quoque consumto, flagitare validius  
 Cubile coepit. Si mihi et turbae meae  
Par, inquit, esse potueris, cedam loco. 10

*Maximo nostro malis benefacimus damno.*

Sunt hominum malorum blanditiae semper insidiarum plenae: quas ut vitemus, paucis fabula sequens monet. Canis parturiens, quod aliam rogasset, ut enixae iam sibi naturae onus, in illius tugurio deponere liceret, voti statim facta est compos. Illa cum postea suum reposceret locum: precibus insistit, et orat, per breve tempus sibi concederet istuc cum suis morari, quoad firmiores ducere posset catulos. Postquam id quoque temporis consumtum, loci domina suum coepit validius flagitare cubile. At hospes ingrata tum, inquit, ego tibi cedam loco, si mihi meisque non impar fueris.

FAB. XX.

*Canes Famelici.*

Stultum consilium non modo effectu caret,  
 Sed ad perniciem quoque mortales deuocat.

Corium depresso in fluvio viderunt canes;  
 Id ut comesse extractum possent facilius,  
 Aquam coepere bibere: sed rupti prius 5  
Periere, quam quod petierant, contingenter.

*Stultitia sibimet ipsa granis.*

Stultorum consilia non modo successu carrent, verum etiam auctoribus suis exitium parant.